JOANNIS BAPTISTÆ SCARAMUCCI PRIMI MEDICI URBINI...

Giovanni Battista Scaramucci

Digitized by Google

IOANNIS BAPTISTÆ SCARAMUCCI

Primi Medici Urbini, ac ejus Status Generalis Prothomedici

MEDITATIONES FAMILIARES

ad

Clariſſimum, & Sapientiſſimum Virum

ANTONIVM MAGLIABECHIVM

BIBLIOTECARIVM M. D. E.

In Epiſtolam ei conſcriptam

De

SCELETO ELEPHANTINO

A Celeberrimo

VVILHELMO ERNESTO TENTZELIO

HISTORIOGRAPHO DVCALI SAXONICO.

Vbi quoque

TESTACEORVM PETRIFICATIONES DEFENDVNTVR,

&

Aliqua ſubterranea phenomena examini ſubiciuntur.

VRBINI. LITTERIS LEONARDI. MDCXCVII.

SVPERIORVM FACVLTATE.

ized by Go

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]



LITTERARIÆ REIPVBLICÆ Cętus virtutis ideam cupidius referre, demptis à fama pennis, Nomen tuum, Illuſtriſs. MAGLIABECCHI conſcribit, intentus ſimul, vt ad Te tanquam ad proprium virtutis centrum omnes litterariæ lineæ recurrant. Ad idem, cum à tuis iuſſibus ſcribendi occaſionem deprompſerit mea rudis Minerua, mearum Meditationum lineam conuerto, cuius vmbram potius, quam delineationem meditaberis.

Tuis ergo obtemperaturus præceptis, quid ſentiam de Sceleto Elephantino Tonnæ initio delapſi anni effoſſo iuxta exactam, & elegantiſſimam deſcriptionem in Epiſtola ad Te tranſmiſſa à Viro incomparabilis exiſtimationis VVILHELMO ERNESTO TENTZELIO HISTORIOGRAPHO DVCALI SAXONICO paucis compilabo, & ea proferre non grauabor, quæ valeant doctiſs. ſcribentis opinionem comprobare.

Deſcribit celeberrimus Vir, in Tonnæ pago in Dynaſtia

 Thu-

Thuringiæ collem ineſſe refertum in fundo arenulis albiſſimis, & puriſſimis, à quò inter effodiendum quemadmodum fuere eruta oſſa ſpectantia ad pedes poſteriores nouendecim librarum, ſimulque os, quod ponderabat nouem libris referens caput rotundum cum accetabulo iunctum, necnon os aliud triginta duarum librarum, quod femoris eſſe videbatur; Sic poſtea frigore ſoluto nona oſſa fuere deprompta, ſpina nimirum dorſi cum coſtis adhærentibus: Oſſa pedum anteriorum: Os humeri quatuor pedes longum, & latum duas ſpithamas cum dimidia: Oſſa vertebrarum colli: Caput tandem pergrande cum quatuor dentibus molaribus, quorum ſinguli erant ponderis duodecim librarum, & cum duobus alijs dentibus maximis longitudinem æquantibus octo pedum, quando craſſities erat duplicis ſpithamæ cum dimidia.

Proprijs oculis totum depræhendiſſe enarrat ſolertiſſimus Auctor cum multis Comitibus coram ſuo Sereniſs. PRINCIPE atque omnes indoluiſſe fatetur, quod exceptis dentibus maxillaribus, caput, dentes, & cætera oſſa fragilia carie conſumpta, & in plurimas particulas diſſecta iacuerint, vt nullum potuerit depromi os incontaminatum.

Orto litigio inter Philoſophos, duas ſucceſſiſſe opiniones enarrat Vir eruditiſſimus, vnam nimirum, quà haberentur oſſa pro Sceleto Elephantis temporis diuturnitate petrefacto; Alteram quia crederentur oſſa fore habenda pro Vnicornu foſſili, ſeu minerali, tanquam ſit fœtus iocantis naturæ.

Primam ſectatus opinionem celeberrimus TENTZELIVS effoſſa oſſa, excludit à claſſe mineralium, eo quod habeant analogiam cum oſſibus Elephantis, ſecundum deſcriptionem factam de vero Sceleto Elephantino ab A. Maulino, & quod oſſa iacuerint ordinata ſerie, vt ſolum eſſent diſtincta in articulationibus.

Inficias ire non aggreditur præfatus Auctor, dari poſſe per Kircheri aſſerta pro diſpoſitione terræ limoſæ, quam *margam* nominat, figuram oſſium, femoris, coſtarum, & aliorum oſſium, vt pro accedente ſalnitroſo liquore

oſſium

enim ſuccreſcat lapidea durities; tamen effoſſa oſſa veri animalis viuentis extitiſſe probat per hoc, quod cauitatibus amplis fuerint depræhenſa ordinem, & ſitum ſeruantia, dum oſſa, quę mineralia creduntur, naturalem ordinem ſeruare nequeunt in ſitu, neque medullam, & neque fiſtuloſum meatum iuxta eiuſdem Kircheri aſſertionem.

Cum igitur fuerit meditatus cranium cellulis curioſiſſime diſtinctum, cauitatemque pro cerebro, & ſpinali medulla referre: dentes natiuum colorem, leuorem, ſtrias ſeruare, atque dexterum in animali viuo apparuiſſe limatum; coſtas ſpinis dorſi eſſe iunctas; vertebras colli acuminato vertice prę ditas; oſſa Tarſi ſibi inuicem correſpondentia; cumque pariter offenderit oſſa in lapidem conuerſa penitus non extitiſſe exuta indole oſſea, vt igne torqueri ea fuerit permiſſum, primo in Retorta, in qua prout oſſa viſa fuerunt colorem, & figuram ſpodij, necnon odorem oſſis, & cornu Ceruí adusti referre, ſic etiam Phlegma in recipiente fuiſſe exceptum, vt guſtu ſal volatile videretur cum ſuperinnatantia tenuis pinguedinis oleum connotantis; ſecundo in Figuli fornace; in qua talia oſſa calcinata alba extitere cum ſtrijs, & tubulis oſſa Elephantis referentibus, vt tandem lixiuiationi com iſſa ſal criſtallinum dederint dum phlegma ſaporem acrem referebat, omnino aſſerüit à natura ludente minime potuiſſe organizatum Sceleton produci omnibus numeris abſolutum.

Præter pulcherrimas doctrinas ad diſſimilia oſſa effoſſa demonſtranda cum oſſibus mineralibus, atque ad conſimilia ea oſtendenda cum oſſibus Elephantis; hæc habet præciſa pro petrifico modo explicando: *Deuenerat igitur quouis modo & tempore in collem arenoſum Tonnenſem Elephas, cuius oſſa temporis longitudine areſacta calcinauit ignis ſubterraneus, eaque tam lenta, & poroſa ſubiit lacteus ille marga humor, & exalata aqua tenuioris portioni craſſior remanſerit [cuius particulas in oſſibus poroſis ob maiorem albedinem ab eorum ſubſtantia facillimè diſcernere licet.] Et tandem coagulata totum Elephanti Sceleton tranſmutauit eiuſque partes ſibi aſſi-*

imitauit, ita tamen, vt ſpecies oſſium interna, & externa noſci, & fortè etiam odor deprahendi poſſit.

Præiudicio intellectus minimè præoccupatus cogor, celeberrimè MAGLIABECHI per rationes allatas in votum ire doctiſſimi TENTZELII, cum pro certo primo teneam oſſa effoſſa fuiſſe animalis viuentis; Secundo facilius eſſe, vt multæ ſubſtantiæ lapideam referant indolem, quam lapides referant exactam oſſium formam.

Iam non me latet celeberrimum RAMAZZINVM in ſuo eruditiſſimo Tractatu de Admiranda Fontium Mutinenſium ſcaturigine referre, inter effodiendum puteos varias ſubſtantias fuiſſe depromptas, & præcipuè oſſa quamplurima.

Sic pariter referre Georgium Agricolam varijs formis, varijſque figuris foſſilia ditari, vt multa repræſentent, vel rotunditatem globi, vel ſemiglobi; Alia figuram connotare cylindricam, aut pyramidalem, aut triangularem, aut quadratam, aliaque cornu, aut cornutæ lunæ formam referre, & tandem vel cordis, vel auricularum, aut fani ſtructuram deſignare, atque eſſe ſimilia oſſibus. Suſpicor tamen hæc & ſimilia caſu euenire, atque foſſilia ſeruare non valere proportionem cum oſſibus Tonnæ effoſſis, neque quoad materiam, neque quoad formam per quam extrinſecam intelligo.

Cum viderim cornu foſſile materiam referre oſſeam quaſi calcinatam: rimulas habere nigras: rotunditatem ſeruare cum laminibus, vt vna alteram ad centrum vſque amplexaretur: adhærere linguæ, digitis friabile exiſtere, ſum in voto aſſerere oſſium mineralium, & oſſium Tonnenſium eandem ſpecie non referre materiam, dum oſſa mineralia referunt tantum quamdam apparentiam oſſeam quaſi calcinatam, quia ex marga, ideſt ex creta ſuccreſcunt; oſſa verò Tonnenſia referunt verum os, iuxta torturam chimicam: oſſa mineralia rimas habent nigras, quia pro combinationibus cretæ cum moleculis ſalino lapideis diuerſa modificatio partium ſequitur, per quam diuerſimodè luce

mo-

modificata, diuerſis color committitur; oſſa vero Tonnenſia vniformem colorem pro vniformi ſtatu demonſtrant, dum aliquæ oſſis particulæ lapidem referant, aliquæ oſſis eſſe conſeruant: oſſa mineralia adhærent linguæ, cum ſint talis ſtructuræ, vt præter poroſitates de facili madorem linguæ ſuſcipientes eius lanuginoſam ſuperficiem amplexantur; oſſa Tonnenſia linguę adhæſiſſe hiſtoria non narrat; oſſa mineralia æqualia ſunt, vt digitis frangibilia exiſtant, tia partium componentium æqualis connexio eſt laxa, & de facili diſſociationem admittant; oſſa vero Tonnenſia inæqualia extiterunt, vt digitis diminui, & frangi valerent dum neque ſub exiſtentia oſſis, neque ſub exiſtentia lapidis potuiſſe frangi eſt fatendum.

Neque quoad formam [loquor ſemper de extrinſeca] videntur oſſa Tonnenſia referre formam oſſium mineralium, nam oſſa mineralia ſtratum laminatim referunt ad centrum vſque, quia concretio cretæ cum Salino-nitroſis moleculis interpolato temporis, & materiei ordine fit; oſſa vero Tonnenſia pro eorum exiſtentia æqualem continuationem ſeruant: oſſa mineralia rotunda ſunt cornu adinſtar, quia concretionis ordo maior mole ſequitur ea in parte, in qua incipit, quam ea in qua deſinit, vt videmus hyemali tempore ex aquæ ſtillicidijs gelu ſuccreſcere, vt maior mole ſit ea in parte à qua ſtillicidium profluit: oſſa vero Tonnenſia eam ſeruant figuram, quæ eſt propria configurationi oſſium in animalibus: oſſa mineralia poſſunt aliquam habere ſimilitudinem, cum forma oſſium brachij, manus, capitis, & ſimilium, quia concretiones ea ſi accidit, vt ſequantur iuxta illam ſtructuram, prout videmus ceram liquefactam; vt & plumbum diſſolutum, ſi proiiciantur intra aquam ſimilitudinem multarum figurarum referre; oſſa vero Tonnenſia veram, & genuinam formam referunt in quolibet oſſe, vt diſcernere fuerit conceſſum tale os eſſe fęmoris, tale ſcapularum, tale capitis, tale vertebrarum, quæ inter ſe benę correſpondentes, cum ad-

hærentibus coſtis, ſatis arguunt & demonſtrant oſſa Ton-
nenſia non fuiſſe mineralia, ſed animalia. Poteſt ſiquidem euenire, vt oſſis mineralis forma caſu conſequatur ſimilis oſſi animalis; Aſt proportio plurium oſſium non poteſt fortuitò ſuccreſcere, cum certum ſit figuram oſſium, vt & cæterarum partium debere eſſe in idea in ſemine, vt conſequantur, habemus enim ex Seuerino. *Semina ſunt vitale principium in ſe continens ſpiritus mechanicos, & tincturas vniuerſæ Anathomiæ propria ſpeciei, quibus ſuum fabricant corpus, colores, ſapores, magnitudines, & frigus, & reliqua officiis conſentanea*,

Aſt quis vnquam ſub tellure poterit ſemen, & ex ſemine ideas oſſium concipere, vt ex iis concretiones ſpecificæ oſſium emergant. Poteſt concretio lapidifica, vt diximus fortuito referre formam alicuius oſſis, ſed plurium oſſium proportione correſpondentium quoad articulationes, & quoad continuationem, impoſſibile eſt captu, & ſolum dignum inter aniles confabulationes enumerare.

Non me latet fortuito multoties maculas in ligno, vt & in lapide obſeruari deſcribentes varias figuras, ac ſi penicillo eſſent delineatæ; aſt examine rigoroſo perpatrato ſemper aderit aliquis defectus, vt depræhendiſſe enarrat Cardanus in imagine S. Io. Baptiſtæ Cameli tergo tecti expreſſa in marmore in Æde Sapientiæ Coſtantinopolitanæ, cui tamen imagini deeſt hoc vnum, quod alter ex pedibus non ſit expreſſus iuxta picturæ exigentiam.

Cum igitur probabilis ſit ſuppoſitio totum animal in arenoſo monte integrum iacuiſſe, dum oſſa adinuenta ordinem quoad ſitum ſeruaſſe enunciet doctiſs. TENTZELIVS occaſio diſcurſus exigit, vt examini ſubijciamus, cur aliqua portio ſub eſſe oſſis remanſerit; aliqua portio ſub eſſe lapideæ concretionis; aliqua ſeu pleraque carie conſumpta, & in minimas particulas diſſecta, & multa penitus conſumpta; cum defecerint multa oſſa in numero, vt adæquarent complementum oſſium totius animalis. Non aliam de hac

re

re meditarer cauſam, niſi quia cum ſint conſuetæ combinationes molecularum tartarearum ſubiectatæ in ſpiritu alio quo acido præcipuè nitroſo interſtitia ſubſtantiarum ſubire, vt pro data incuneatione valeant conſortium continuitatis formare, vt hac de cauſa ſub exiſtentia lapidefacta detur earum apparentia, probabile eſt ſiue moleculę nitroſæ latitauerint in ſinu arenularum, cum potuerint ex iiſdem ſuccreſcere, eo quod à veriſimili non eſt alienum arenam ipſam ex qua plerique lapides conſtant, ex humore prodijſſe, cum granula arenæ microſcopij ope perſpicua videantur, vt refert Philoſophia Burgundia. ſiue deſuper à terra nitroſa inferius irrepſerint, probabile inquam eſt, moleculas ipſas nitroſas fluorem adeptas, & combinationem cum tartareis moleculis irrepſiſſe intus cauitates patentiores apophiſium oſſium, vt pro data incuneatione ſucceſſiuo ordine inter fibras oſſium, quemadmodum æque ad omnes partes non pertigerint, accidiſſe ſuſpicor, quod quæ immunes extitere à tali inundatione ſub eſſe oſſis remanſerint, dum aliæ paſſæ receptionem nitroſo-tartarearum molecularum, potuit accidere, vt ad aliquas totalis eſſet concurſus ſalis nitroſi tantum, vt huius energia particulæ fibrarum oſſium diſſoluerentur ad omnimodam oſſis diſſolutionem; Ad aliquas vero maior eſſet concurſus ſalis nitroſi, quam molecularum tartarearum, & ſic multa oſſa carie conſumpta, & in particulas diſſita extiterint ob eius energiam; ad aliquas vero æqualis eſſet concurſus ſalis nitroſi cum tartareis moleculis, & ſic ex æquali combinatione in lapideam conſiſtentiam oſſa commigrauerint.

Igitor ex his quæ protulimus poſſumus probabiliter ſuſpicari oſſa Tonnenſia fuiſſe oſſa animalis viuentis, & probabiliter Elephantis, eo quod etiam in Muſęo Coſpiano duo fragmenta tibiæ Elephantis petrificata inueniantur, quæ dono miſerat Sereniſs. FERDINANDVS II. M. D. E. cum fuerint inuenta prope Aretium cum cęteris oſſibus petrificatis, facto iudicio quod fuerint Elephantis ſuperſtites

quem

quem Anibal Cartaginenſis per Arni valles fuerit iter proſequtus.

Reſtat, vt meditationes dirigamus ad id quod in principio protuliſſe recordor, nempe facilius eſſe vt multæ ſubſtantiæ lapidis conſiſtentiam obtineant, quam poſſint lapidificæ concretiones referre oſſium non minus materiam quam formam.

Haud minime valeo hoc in loco non redarguere eos, qui præiudicio intellectus præoccupati rentur nullam dari mutationem ſubſtantiarum in lapidificam concretionem, ſed omnia eſſe producta foſſilia. Inuehere in hos valebo non eorum argumento, quæ proferuntur ab alijs, & præcipuè à Ludouico Moſcardo, qui referens in ſuo Muſeo multa Teſtacea petrefacta, credit cum Fracaſtorio ea non eſſe de genere foſſilum, ſed ab iis depromam argumentum, quæ proprijs intueri oculis fuit mihi conceſſum hic VRBINI.

Sit fundamentum meæ comprobationis experimentum factum in lignis Quercus lapidefactis triginta pedibus geometricis inuentis ſub tellure in intrinſeca ſulphuris minera, quam poſſident D.D. CORADINI Vrbinates, ſiue quod tempore diluuij irrepſerint, ſiue quod antiquitus fuerit effoſſa minera, & ſic incluſi ſtipites ligni intra mineram regeneratam extiterint.

Duplicis conditionis ligna hæc Quercus lapidefacta fuere depræhenſa, vnum durum erat, & compactum lapidis adinſtar referens primæuam ligni exiſtentiam per rectitudinem fibrarum, & per corticem lapidefactum, necnon per nodum magnum oblique à parte ad partem cum ſuis circularibus lineis excurrentem. Alterum non multum durum referens fruſtulum ligni Quercus ex intuitu, dum tamen & tactu, & pondere lapis videbatur de facili per quodlibet leue ictus in ſtrias oblongas diſſolutum. Vtrumque lignum torturæ ignis conceſſit vna mecum Illuſtriſſimus Marchio POMPILIVS CORBOLI. Primum lignum nonniſi lapidis calcinationem retulit poſt conſumptum ſulphur cum flam-

flamma: Alterum diſſipato pariter per flammam ſulphure cineres conceſſit retinendo carbonis nigredinem obtinens ſemi manuum preſſione facilem diſſolutionem in ſtrias.

In Muſęo Illuſtr. Comitis CAROLI de PACCIOTTIS inter multas lapidificas concretiones vidi Tuber, vulgo *Tartufalo* quod decem circiter ab hinc annis in Ditione Piobici Illuſtriſſimorum de BRANCALEONIBVS erutum, ponderis erat quadragintaſex librarum, præſeferens tamen ferè ligneam duritiem, vt media inciſione fruſtula depromerentur guſtu, & odoratu perfecti Tuberis odorem referentia, dum lineæ promiſcuæ & albæ, & nigræ inhærerent, quando cortex niger erat granulatus. In præſentiarum perfectam lapidis duritiem nonniſi malleo cedentem referre deprehenditur; quemadmodum autem mole eſt diminutum iuxta quod refertur, ſic facto conſilio cum rritina, eſt ponderis librarum trigintaſex granulatum nigrumque corticem ſeruans, quando ea in fouea quæ fuerat exciſa apparet cum lapidea duritie color maculatus; Neque obſtat quod ſub lignea duritie maioris eſſet ponderis, quam ſit nunc ſub lapidea concretione, nam ab alio non emanaſſe ſuſpicarer, niſi quia lapideam duritiem nactum non eſt Tuber per nouas additiones particularum nitroſo-tartarearum, quia in Muſęo fuerat reſeruatum, ſed depulſis particulis aqueis, mediis effluuiis vaporoſis cauſa cohæſionis ſtrictioris particularum earundem nitroſo-tartarearum, cum particulis Tuberis, potuit idem Tuber non ſolum mole, ſed & pondere diminui. Hinc viſum fuit poſt quinque menſes ſuccreſcere boletum in quadam Tuberis rimula; quod latitudinem vnius ſphitamæ æquauerit, dum tamen poſt quinque, vel ſex menſes computruerit.

Eodem in Muſęo aceruum vidi petrefactum reſultans ex foliis, & ex ſurculis ligneis.

Ita pariter in Muſęo numiſmatum, aliarumque rerum antiquarum DD. Doctoris BERNARDI de MASCHIS magnæ maxillæ petrefactæ vidi portionem ordinatas ſeruantem ca-

Digitized by Google

micaret pro dentibus, quorum vnus amiſſus excidit, quando alterius fracti radix infixa inhæret. Quod tamen admirabile, & omnimode confuſionis poteſt aduerſarijs eſſe demonſtratio, conſiſtit, quod viderim eodem in loco acerrium conſtantem foliis, paleis, aliiſque ligneis ſurculis, quorum aliquæ extremitates ſeruant naturalem Texturam, vt deprehendere ſit manifeſtum eſſe ſurculos ligneos, & eſſe paleas, quando tota combinatio ſeruando diſtinctionem cum pluribus loculis lapidea concretione ditatur, vt etiam lumine captus ſimplici contactu affirmare valeret, eſſe lapidem. Mirabile tamen dictu, quod folium complicatum pariter lapidefactum inhereat tali aceruo, vt cum diſſitum potuerit eſſe idem folium, continuatam elongationem ex eodem fibra ramoſa obtinet, ſeruans elaſticam flexibilitatem, vt ſicuti mihi conceſſum eſt, & intuitu, & ferro ſcalpente deprehendere folium in lapideam commutatum concretionem, ſic fibræ ramoſæ elaſticam flexibilitatem offendi. His ad trutinam Philoſophicam appenſis, quis nam poterit aſſerere petrefacta aſſignata eſſe de genere foſſilium? non alius ſane niſi qui lapidea oſtinationis ceruice ditatus ignorat, quod protulit Cicero de Natura Deorum. *Non tam Auctores in diſputando quam rationis momenta quærenda ſunt*, quia de re dicerem de his quod protulit Lactantius Firmianus de orig. error, *cum debeant incerta de certis probari, probationem ſumunt ex incerto ad euertendum quod eſt certum.*

Validius argumentum, quod profertur ab Aduerſariis, vt Teſtacea petrefacta credantur de genere foſſilium, in hoc præciſe fundatur, quod adinueniantur etiam in montium ſummitatibus, & quod quemadmodum Teſtacea aquatica ſunt producta, vel ab arena, vel a luto mediante humido viſcoſo, ſic in montibus cum inſit arena, ſimulque terra viſcoſa, credunt a calore centrali terræ actuari eandem arenam, ſeu limum viſcoſum, & ſic lapides gigni ſimilea Teſtaceis, vt videre eſt in Muſeo Coſpiano.

Verum

Verum cum Teſtacea omnia ſint de genere Viuipero, quod idem eſt ac dicere progigni ab ouo in ſinu aquarum, fuit ridicula eorum aſſertio tanquam ſit neceſsarium, vt concipiantur oua de ſolis cruſtis, & non de intrinſeco animali; Vnde bene cedit, quod protulit doctiſsimus Paulus Beccone in ſuis Eruditiſsimis obſeruationibus, in quarum decima hæc habet: *Sin hora non ſi ſono trouato Oſtriche, nè Conchiglie particolari del Regno maritimo con animale viuente in mezzo la terra, e però col parere de più ſenſati giudice, che ſiano tutti queſti corpi traſportati dal Mare nelle Montagne, e nelle viſcere della terra per qualche reuolutione.*

Ego autem quin ad marium retroceſſionem confugiam, & quin credam tempore diluuii potuiſse Teſtacea eſse in montibus depoſitata, ſuſpicor potuiſse à mari tranſportari, prout mos eſt dono mitti de præſenti, & transferri non minus Romam ex noſtro littore, ſed ad quaſcunque montium Ciuitates, vt pro data cruſtarum deiectione hæc inter telluris penetralia pro data elaborationis terræ occaſione ſubeuntia, mutationem per longas ſeries annorum lapideam obtinere potis euadant.

Ideo autem reor facilius poſse multas ſubſtantias lapideſieri, quam concretiones ſequi, vt oſsa foſsilia credantur, quia prout eſt facilis concretio particularum nitroſo-tartarearum inter ſe, vt per eam lapides conſequantur ſub triplici vnionis claſse, vt non ſolum lapides, in Megacoſmo, quam calculi in Microcoſmo deprehendantur ſuccreſcere, vt protuli in 19. ex meis Theorematibus, cum fuerim meditatus calculos fieri, vel per continuitatem, ſaltem quoad conceptum, quando partes immediate ſe tangunt, et cohærent ſimul per texturam ramoſam, vt ſine molimine ſeparari non poſsint; vel per contiguitatem, quando ad inuicem partes amplexantur per ſuperficies particularum de facili inter ſe cohærentium, vt leui contactu valeant ſeparari; vel per nexum, dum inter partes quæ

communi-

vniuntur aliquod medium glutinoſum ineſt quod vinculet, & cęteras detineat. Non ſolum enim lapides, ſed & calculos triplicem hanc vnionis ſortiri originem videmus ex eo, quod aliqui ſunt conglobati duram, & æqualem lapideam ſubſtantiam referentes, vt nonniſi malleo cedant, quia per continuitatem vniuntur, alii conglomerati infinitis arenulis conſtantes, quorum aliqui de facili diſsoluuntur, quia ſolum per contiguitatem vniuntur; alii duri, & compacti quia per nexum continuantur, ſic facilis eſt earundem particularum nitroſo-tartarearum concretio in ſinu aliarum ſubſtantiarum, vt hæ mutata propria textura, quia mutata eſt partium iuxta poſitio, lapidefactæ cernantur ad terminum vſque vt poſſit dici, hæc eſt lapidea ſubſtantia. Aſt de concretionibus referentibus oſsa à foſsilia, nec adeo frequens, nec adeo facilis eſt obſeruatio, quia marga proportione, ne ad minimam partem poteſt correſpondere tartareis partibus, nec omnis eſt capax poſse concreſcere, quemadmodum capax non eſt omnis terra, vt ex ea fiant lapides. Dum vero concreſcit, vt connotet oſsa foſſilia, hæc nonniſi oſsis calcinati conditionem referunt ita, vt non valeat dici. hæc eſt ſubſtantia oſsefacta, cum tantum analogiam habeat ad os calcinatum.

Cum igitur ratione materiei quando lapidefit aliqua ſubſtantia conuenit cum lapidibus, ſic concretiones oſsium foſſilium diſconueniunt in materia tum veris oſsibus; & ſicuti quod lapidefit retinet formam extrinſecam, qua ditabatur ſubſtantia ante petrefactionem, ſic concretiones oſsium foſſilium, ſi referant aliquod membrum, illud deſignant, ac ſi quis incapax delineationis vellet brachium, & manum formare, vnde talis forma informis videtur ex nubium occurſu deprompta.

Ex his igitur omnibus ſatis concludere valemus non ſolum oſsa Tonnenſia eſse excludenda à formalitate mineralium cum reuera extiterint oſsa animalis viuentis, ſed facilius eſse vt multæ ſubſtantiæ lapideam concretionem referant,

ſerant ; quam concretiones lapidificæ vera oſſa valeant connotare. Num autem igni ſubterraneo ſit tribuenda vis, vt Doctiſſimus cenſet TENTZELIVS media qua oſſa Elefantis temporis diuturnitate areſacta potuerint calcinari. & ſic poroſa facta lacteum margæ humorem ſibi aſſimilare, haud inficiari aggrediar, quia Doctiſſimi Scribentis ſancitum amplector.

In genere tamen ſuppono non ſemper æquè neceſſarium eſſe pro oſſium aliarumque rerum petrificatione, vt ignis ſubterraneus ad id operandum concurrat, cum non ſolum concretiones lapidum, adeoque etiam connotationes aliarum ſubſtantiarum in concretionem lapideam ſequantur ſub aquis, quin vlla caloris, ſeù ignis energia concurrat, dum moleculæ nitroſæ, cum particulis tartareis combinatæ medio aliquo fluido valent ſubire interſtitia illius ſubſtantiæ, cui inſit proportio poroſitatum, intra quas pro proportione particularum nitroſo-tartarearum, dari poſſit incuneatio, ſed etiam quia ignis ſubterraneus non æquè afficit omnes ſubſtantias, dum aliquæ funduntur, quando aliquæ intactæ ſeruantur. ex fumo enim ignito prodeunte in agro prope Neapolim carta intacta relinquitur, & lignum non comburitur, quando ferrum in aqueas guttulas diſſoluitur, vt habui à Religioſo, qui propriis oculis totum obſeruaſſe fatetur.

Cum de igne ſubterraneo ſit ſermo, extra aleam non erit apparentiam ignis ſubterranei referre in puteo ex fodinis ſulphureis depræhenſam, ſimulque aliquid meditari cur tempore æſtiuo lumina extinguantur in fodinis vt opifices cogantur à labore quieſcere, dum tamen hyeme lumina ſeruantur, vt opifices valeant operari.

Cum puteus initio veris effoderetur ad ſulphuris mineram venandam, igneum phenomenon inſuetum hiſce in fodinis, licet frequens in Neapolitanis offendit operarius, qui licet ruſticus, multa peregit, vt effectus ignis

 ſcru-

ſcrutaretur. Cum triginta pedibus geometricis puteus eſſet effoſſus, quin minera ſulphuris potuerit depræhendi [terra enim erat cęrulea, & dura nomine vulgò *Genga* cognominata, quæ licet ferreo inſtrumento tantum incisionem patiatur, ſic ad appulſum aeris de facili in fragmenta disijcitur] Operarius quidam putei latera æqualia reddere intentus, retrò tergum crepitum quaſi bombardæ perſentit, & flammæ eruptionem offendit pertingeatis ad alteram putei partem, cumque ex impetuoſa corporis commotione medio timore fuerit lucerna extincta, elichnium e uſdem ita approximauit igni e latere putei emananti, vt fuerit lumen renouatum, quo facto ſocios præ timore exorauit, vt deſuper ab illis educeretur. Ientaculo facto ſe iterum in putei laborem conuertit, quamuis depræhenderet flammæ continuationem, atque hæc præciſe offendiſſe fatetur, nimirum flammam eſſe albiſſimam nullum prauum odorem referre foramen a quo proſiliebat, rotundum eſſe ęquareque apicem digiti anularis. flammam circulum formare ad lucernæ Elichnium accendendum, quando lateraliter ſpatio vnius ſpithamæ extincta lucerna approximabatur: lignum per longam appeoximationem calefieri, ſed non comburi imno. neque colorem mutari: flammam exilire ex foramine magno cum rugitu. flammam immediate reſiſtentiam ſuperare luti in fundo putei exiſtentis, quo Operarius flammæ foramen claudere tentabat: flammam perduraſſe citra horam vigeſimaquartam, atq; nullum veſtigium e fumigationis remanſiſſe in foramine.

Protulere multi oleum lapidum eſſe flamma luminis accenſum. Verum cum à foramine per præuium impetuoſum crepitum flamma erumperet cum rugitu, ſuſpicabar inter telluris meandros potuiſſe cumulari, combinationes ſulphureas & oleoſas, vt cohercitæ inter terræ Lares talem vim media elaſticitate intulerint, per quam ſuperata reſiſtentia terræ per eius minorationem media

fouea

fouea facta, poris extiterint irruere, foramen inferendo,
& ex eo tantum cum impetu erumpere, vt non ſolum
per aeris diuerberationem impetuoſus crepitus quaſi bom-
bardæ fuerit promotus, ſed celerem in exitu obtinentes
motum accenſionem contraxerint, & ſic flamma cum ru-
gitu eo vſque perdurauerit; quouſque conſumptæ extite-
rint ſulphureo-oleoſæ combinationes.

Circa ſecundum phænomenon ſcrutatus rationem ce-
leberrimus RAMAZZINVS in ſuo eruditiſſimo de Fon-
tium Mutinenſium admiranda ſcaturigine Tractatu, cur ni-
mirum ſit ſumma quies aeris tempore hyemali in puteis;
vt nulla excitata fumoſa exalatione lumina accenſa ſeruen-
tur, dum æſtate ex eleuata craſſa nebula lumina extin-
guantur, vt foſſores ſuffocentur, aſſerit, vel quod ca-
lor in puteis hyemali tempore ob Antiperiſtaſim auctior
euadat, & ſic promptior reddatur diſſoluendi vapores
qui eleuantur, cum æſtate ob intenſum frigus in puteis
nequeant vapores diſſolui; Vel quod alius, qui hyeme
in puteis à calore eleuantur aere externo vtpote frigido,
& denſiori leuiores ſint, adeoque facilius aſcendant; Æ-
ſtate verò cum grauiores ſint ob denſitatem, non tam
de facili valent aerem externum ſubire; Vnde promo-
uent, & foſſoribus anelitus difficultatem, & luminibus
extinctionem, refert enim Clariſſimus Auctor menſe
Aprilis fumoſæ exalationis aſcenſum manifeſto obſeruaſſe,
vt foſſor in fundo vix poſſet inſpici, qui tamen aiebat ſe
valde rigere, & ægre reſpirare; Cum autem facta eſſet
de repente aeris permutatio in frigidum, illico deprehen-
dit, euanuiſſe fumoſam exhalationem, ac foſſorem faci-
lem duxiſſe anelitum, & ſatis mitem calorem.

Conuenio cum Doctiſſimo Scribente, vt credam à fu-
moſis exalationibus lumen extingui, & dicta Symptoma-
ta emergere, aſt non poſſum conuenire cum eo, quod
fumoſæ exalationes hyberno tempore diſſipentur.

Non inficior diuerſimode poſſe accidere inter effo-

 diendum

diendum puteos ſub Tellure Mutinenſi, ac ſub Tellure Vrbinatenſi, maximeque cum referat Sapientiſſimus Auctor in fodinis metallicis Vngariæ ad longum tempus commorari foſſores quocumque tempore accenſis luminibus; Qua de re inconcuſſa, & veridica ea veneror quę propriarum obſeruationum fundamento protulit Celeberrimus RAMAZZINVS, a quo tamen non multum videbor recedere in hoc phenomenon explicando, & vt ordine procedam fodinarum ſitum cum ſuis circumſtantijs deſcribam.

Mons eſt quinque milliaribus diſtans Vrbino verſus Occidentem nuncupatus vulgò *Petra di Cagna*, qui pluribus mineris ditatus dat in ſuperficie mineram Æris, Argenti, Auri, & Ferri, in quibuſdam lapidibus cinericij coloris in teneriori lapide inſertis, referentibus circulum flaceſcentem, qui ſcintillat radijs ſolaribus. Sub maturitaris iugo minera hæc non eſt addicta, vnde ſecretio dictorum nonniſi maximo cum diſpendio poteſt obtineri. Subſequitur minera vitrioli pulcherrima, & in humiliori montis loco adeſt minera ſulphuris, quando in ima montis parte fons aquæ ineſt ſalſiſſimæ.

Omnis labor pro effodiendo ſulphure impenditur; Cumque æſtiuo tempore lumina extinguantur intus puteos ita vt operarij dum deprehendunt lumina elongatis brachijs delata diminutionem pati, ad terminum ferè extinctionis abſolute retrocedunt, ad euidentiam edocti, eo in loco vbi lumina extinguntur canes immediatè extinctos iacuiſſe, atque aliud ſignum certum non obtinent vt valeant opus renouare, niſi quando mons Carpineus, qui diſtat duodecim milliaribus a fodinis, prima nubis lanugine induitur, tunc enim fumoſæ exalationes à puteis effluere deprehendantur tanta cum apparentia, vt à longe fornacis fumus ad tres paſſus extenſus pleno gurgite videatur, & immediate à tali apparentia fumoſarum exalationum ſine metu fodinas ingrediuntur, quia lumina accenſa

ſeruan-

ſeruantur, Hoc tamen anno pro vt eſt ſpes futurorum, etiam æſtiuo tempore opifices effoderunt mineram ſulphuris, quin lumina extinguerentur, quatenus facto alio puteo diſtante quindecim paſſibus a primo, ſubterranea via facta eſt, qua haberetur communicatio ad vtrumque puteum; Aduerto tamen duplici in loco ſub diſtantia quinque milliarium fodinas ſulphureas adeſſe, atque diuerſimodum eſſe modum effoſſionis obſeruo, dum in loco Vrbino propinquiori pro ſulphuris minera effodienda cryptas formari intueor, in loco verò longinquiori puteos effodi, Vtrobique tamen accidit, vt etiam æſtiuo tempore lumina ſeruari poſſint accenſa, quando via ſubterranea cum duplici dehiſcentia, in terræ ſuperficie effoditur.

Cum igitur videantur ex puteis fumoſæ exalationes profluere nune in montibus apparente, quod idem eſt ac dicere frigidiori ſæuiente Atmoſphera, quo in tempore lumina accenſa conſeruantur intra puteos, quando æſtiuo tempore extinguntur, eſſem in voto aſſerere, totum prouenire à maiori, & minori preſſione Atmoſpheræ, deducta preſſione maiori, & minori, vel a vi elaſticitatis, vel à pondere.

Etenim cum fumoſæ exalationes à puteis exitum affectent, ſequitur quod ſi his detur exitus pro data proportione eleuationis è terræ ſinu, certum eſt lumina non extingui intra puteos; Si non detur exitus pro data proportione eleuationis, & libertatis, certum eſt ita fumoſas exalationes cumulari, & augeri, vt lumina extingui, neceſſe ſequatur; Cum autem æſtate extinguantur lumina, ſecus verò hyemæ omnino aſſerendum hyemali tempore dari exitum fumoſarum exalationum pro data proportione eleuationis e terræ ſinu, tempore verò æſtiuo præpediri fumoſas exalationes, vt foras ſecludi non valeant pro proportione generationis.

Preſſioni maiori, & minori Atmoſphærę tribuerem, cauſam vt fumoſę exalationes exeant, vel non exeant i

puteis, data proportione eleuationis è terra, nam maior preſſio Atmoſphæræ impedit æſtate exitum, minor preſſio hyeme non impedit exitum. Maior autem preſſio æſtate habetur ab impetuoſa vi elaſticitatis aeris, quam partes ætheræ media expanſione, & libertate particularum calorificarum ſuperare valent. Minor preſſio habetur hyeme à remiſſa vi elaſticitatis, quatenus modificatur motus æthereatum moleculatum a frigorificis particulis in Atmoſphæra præpollentibus.

Qua de re videtur probabile per maiorem preſſionem Atmoſpheræ tempore æſtiuo à vi elaſticitatis præpediri exitum á puteis fumoſarum exalationum, & ſic per eas lumina extingui intra puteos; Per minorem preſſionem Atmoſpheræ tempore hyberno á minori vi elaſticitatis non præpediri exitum fumoſarum exalationum, adeoque intra puteos lumina non extingui.

Præter preſſionem maiorem, & minorem, à maiori, vel minori vi elaſticitatis in aere, poteſt etiam concipi preſſio maior, vel minor vi ponderis maioris, & minoris eiuſdem aeris.

Certum enim eſt aerem hyberno tempore minoris eſſe elaſticitatis, ſed maioris ponderis, æſtiuo verô tempore maioris elaſticitatis, ſed minoris ponderis; Vnde pondus aeris maior hyeme poteſt promptius ſubire capacitatem puteorum & ſic fumoſitates deſuper propelli; Pondus vero minor aeris æſtate iners eſt ſubire capacitatem puteorum, quia ſuperare non valet reſiſtentiam fumoſarum exalationum.

Vtraque opinio videtur non improbabilis, dum vel vno, vel altero modo conſeruantur lumina etiam tempore æſtiuo intra puteum, communicationem obtinentem in via ſubterranea, cum alio puteo; Suſpicor namque lumen conſeruari à circulari aeris motu, atque circularem hunc motum ad vnum, vel alterum ex dictis eſſe referendum.

Cum

Cum enim puteorum, ſeu Cryptarum orificia ex qui-bus effoditur minera ſulphuris non ſint in linea paralella Orizontali coniecturari de facili eſt, vel maiorem eſſe elaſticitatem aeris ſupra orificium altius in ſitu, quam ſupra orificium depreſſius atque maioris ponderis eſſe aerem ſupra orificium depreſſius quam ſupra orificium altius; Elaſticitas maior à tenuiori aere ſupra orificium Cryptæ altioris in ſitu ſuperat reſiſtentiam fumoſarum exalationum; Vndè coguntur per aliud orificium Cryptæ depreſſioris propelli, dum elaſticitas aeris ſupra hoc æqualem reſiſtentiam non habet proportionatam potentiæ elaſticitatis aeris ſupra orificium Cryptæ altioris.

Ita pariter pondus maior aeris ſupra orificium Cryptæ inferioris in ſitu ſuperat pondus aeris ſupra orificium Cryptæ altioris; Vnde media ponderis preſſione ſubit aer capacitatem orificii Crypræ inferioris, ratione cuius coguntur fumoſæ exalationes per orificium Cryptæ altioris in ſitu effluere dum aer ſupra hoc ſit minoris ponderis.

Hæc de igne ſubterraneo, & de luminis variatione in Cryptis dicta ſint per tranſitum, dum ea Mercologicorum iudicio committenda, & corrigenda relinquimus.

Cum de aeris diuerſa impreſſione ſit ſermo, conſideres quæſo Celeberrime MAGLIABECHI, quid fuerim meditatus de quæſtione enata inter Amicos, cur impreſſio frigidiſſima etiam tempore æſtiuo ſentiatur in vola manus, ſi inſequta aſperſione Acquæ Reginæ Vngheriæ, ac anguſtato ore inſufflatio fiat. Frigidiſſimam hanc ſentationem non ex alio enatam ſim ſuſpicatus, niſi quia cum mediis effluuiis igneæ naturæ Aquæ Reginæ, quæ nihil aliud eſt, niſi Vini ſpiritus ter coobatus, & deſtillatus cum floribus Anthos, dilatentur poroſitates volæ manus, accidere poteſt, vt ſicuti effluuia calorifica per eaſdem poroſitates celerem exitum obtinere ſunt apta, ſic partes frigorificæ Atmoſpheræ vehementem, & rectilineum motum obtinentes ab impetu aeris, ore anguſtato propulſi, quando particulæ calorificæ eiuſ-

dem Atmoſpheræ pre celeriori promptitudine ad motum quaqua verſum expanſionem, & fugam adipiſcuntur, ita valent partes eędem, inquam frigorificæ ſubire interſtitia volæ manus, vt frigidiſſimam impreſſionē inferre promptè reddantur.

Si enim conſuetum eſt aerem ore anguſtato in manum inſufflatum frigorificam inferre impreſſionem per rationem a Gaſsendo allatam, quod ex tali aeris impetu partes frigorificæ vtpotè mole maiores, licet numero pauciores æſtiuo tempore, longius, & vehementius impellantur quando moleculæ calorificæ præ ſumma mobilitate, & tenuitate fugam, & diſſilitionem acquirunt [ore enim aperto inſufflatus aer calorificam promouet impreſſionem, quia particulæ calorificæ minus valent diſſipari,] ſic addita maiori dehiſcentia interſtitiorum in vola manus, ne dum facilius per inſufflationem aeris ore anguſtato coguntur partes frigorificæ impetu interſtitia ſubire, ſed exeuntibus per hanc maiorem dilatationem effluuiis calorificis e vola manus per pregreſſam inſperſionem Aquę Reginę [dum videmus multos mederi criſipelati per aſſuſionem ſpiritus Vini, vt ex eo dehiſcentibus] cutis oſtiolis exitus concedatur particulis calorificis tanto facilius meditamur, ſenſationem frigorificam conſequi; certum enim eſt præ via patentiori facta, & decidere effluuia calorifica, adeoq, tolli reſiſtentiam frigorificis, & ingredi facilius frigorifica, adeoque ſine obice copioſius hæc irruere.

Interea cùm à tuis iuſſibus ſcribendi neceſſitatem fuerim mutuatus, Illuſtriſs. MAGLIABECHI, maximeque cum Celeberrimus TENTZELIVS per Epiſtolam familiarem Tibi enunciauerit, gratiſsimum ſibi fore, ſi iudicium meum de proprio circa Sceletum Elephantinum protuliſſem, hæc pauca ſufficiant, vt ſint exemplar non minus erga Te perpetuè deuotionis, quam erga Illuſtriſsimum TENTZELIVM perennis Obſequii, & Seruitutis.

Celeberrimi tui Nominis

Dabam Vrbini 25. Ianuarij 1697.

Addictiſſimus Seruus

Io: Baptiſta Scaramucci.

Celeberrimis, & Famigeratiſſimis

ACTORVM ERVDITORVM COLLECTORIBVS

Lipſiæ Degentibus

IOANNES BAPTISTA SCARAMVCCIVS.

COgitanti mihi pererrantes in Medica Republica Hypotheſes, quibus Auctores, vel pecudum more procedentes in delabentem aquam, vel eclypſim vertiginoſam in propria aſſertione referentes, conſueſcunt comparari cum Anaxagoræ Diſcipulo, qui loco atramenti nitem ſubrogauerat; venerat in mentem, ILLVSTRISSIMI PATRES ad infortunium hoc auerrendum, non minus veſtram conſulere ſolertiam circa ea, quæ fueram meditatus de reformata Idea Febris Hecticæ, quam veſtrum obtinere Patrocinium.

Non me latet octo abhinc annis ſummi honoris, ſummæque gloriæ mihi veſtrum extitiſſe fauorem, quod relatum habueritis in veſtris actis meum de motu Cordis mechanicum Theorema, pro qua re æquum erat, vt non minus Vobis debitas perſoluerem grates, quam meum erga Vos deuotionis argumentum tribuerem.

Febrium hecticarum naturam meditari per aliorum aſſerta, res ardua mihi videtur, nam licet conueniant Auctores omnes, hecticas ſucceſſiuo ordine per triplicem earum differentiam inferre conſecutiue Maraſmum, qui dicit *maciem extremam*, & vt Aetius profert, *extremum tabem, dum non amplius ſupereſt aliquid humiditatis*, diſconueniunt tamen in modo fiendi, quatenus conuenientes in hoc, quod febris hectica dicat febrim in habitu, aſſerunt aliqui talem habi-

habitudinem fundari in calore propter naturam inhærentẽ, ac infixo in ſolida cordis ſubſtantia; quando alii dicunt talem calorem præter naturam in habitu corporis eſſe, ideſt inhærere partibus ſolidis, dum non deſunt Recentiores, qui affirment febrim hæcticam radicari in diſcraſia ſanguinis nimis ſalſa, & acri vna cum lymphæ viſciditate.

Diuerſæ tamen meditationes me mouent, vt credam vitium in hæctica fundari nedum in partibus ſolidis, ſed etiam in maſſa humorali, ita vt ſi tres aſſignantur gradus hecticæ, reor omnino incrementi mutationem debere ſiquidem depromi, ex eo quod in primo gradu naturalis humiditas abſumatur, in ſecundo gradu carnoſa, & adipoſa ſubſtantia pereat; in tertia pars fibroſa exſiccetur; hi tamen ſunt potius effectus, quam cauſa, dum ordo ſucceſsiuus diſtinctionis eſt depromendus in conſeruari, & augeri non ſolum a maſſa humorali, quæ dicat terminum à quo, ſed à partibus ſolidis, quæ dicant terminum ad quem.

Minime tamen inficiamur febrim hecticam, ideſt habitualem fundatam eſſe in diſcraſia calida, & ſicca, quæ habeat ex ſe ſuæ, conſeruationis cauſam inhærendo partibus, eaſque in conſumptionem redigendo, quin conſeruari exigat à præcedenti cauſa, ſi præceſſerit alius morbus, vt eſt febris ardens, acuta, vlcus pulmonum, vteri, renum, & ſimilia. licet denegari non poſſe docuit experientia febrim hecticam incipere poſſe ex ſe ipſa, tamen cum ſiccitas ſit modus eſſendi firmus, & ſtabilis, quando caliditas extranea dicit motum inſolentem partium calorificarum, quem promouere præcipuè valet exoticorum ſalium irrequieta lucta, reor ſiccitatem eminenter firmari in partibus ſolidis per earum texturam ſtabilem, & firmam, adeoque ſiccam abſque humiditate, quando extraneam caliditatem eminenter in ſanguine fundari authumamus, non denegato quod etiam in maſſa ſanguinea poſſit eſſe aliquis modus eſſendi reſpectiuè firmus pre lenteſcentia fluidorum, quæ cohibeat aliquo pacto in hectica partium calorificatum expanſionem, dum nulla eſt implicantia

plicantia, vt extranea hæc caliditas ſecundariò concipiatur in partibus ſolidis, quando earum ſicca modificatio non impedit, vt eædem partes ſolidæ extranea caliditate ditentur, dum videmus ſubſtantias duras, vt ferrum, & lapides calorificas particulas admittere. Vno verbo dicimus caliditatem ſiccitati ſuperemmere in maſſa ſanguinea, & ſiccitatem ſuperiorem eſſe caliditati in partibus ſolidis, adeoque ex vtriuſq; caliditate, & ſiccitate febrim hecticam, ideſt habitualem ſuccreſcere.

Meditamur igitur diſcraſiam hanc calidam, & ſiccam nedum in maſſa humorali, ſed in partibus, originem nanciſci à ſalſuginoſis, & acidis moleculis, ſiue concipiantur libertatem nactæ, quatenus copiosè præpolleant in ſanguine, vt precedente ira, furore, & ebrietate hectica videatur per ſe ſuccreſcere, ſiue ſint exuuiæ conſequentes à retorrida, & exuſtiua febrium ardentium, & auctarum fermentatione, ſiue exiſtant deciduæ ab vlcere renum, pulmonum, vteri, carie oſſis &c. vt hectica ab aliis morbis fiat. Etenim prout moleculæ ipſæ ſalſuginoſæ, & acidæ talem inferant diſcraſiam in maſſa humorali, vt tumultuatio continuata cõſeruetur ad febrim continuam perennandam, ſic depoſitatæ inter circulandum cum ſucco alimentali partibus nutriendis, ita in his figuntur, vt ſpirituum inſitorum energia depreſſa, & per conſequens frenata eorum elaſticitate robur tonicum tollatur ad terminum vſq; vt concidentes fibræ inter ſe cum incarceratione exuuiatum ſalſuginoſarum, & acidarum, impediant ſucci alimentalis incuneationem cum ſiccitate, & ſic cum maior in dies augeatur reſiſtentia fibrarum, minor fit niſus fluidi alimentalis; cumque maior ſanguineæ maſſæ diſcraſia retorrida in dies ſequatur, hæc potis euadit totam maſſam fluidorum peruertere ab ordine debitæ conſtitutionis, vt non minus ſiccitas in partibus, quam extranea caliditas in ſanguine augeantur, quatenus caliditas ſanguinis extranea ſuppetias concedens ſiccitati in partibus, & ſiccitas in partibus ſuppetias concedens caliditati extraneæ in ſanguine augeri in dies

neceſſe

neceſſe ſequatur hecticus caracteriſmus ad terminum vſque marasmi.

Sed ad hypotheſim adaptemus ſymptomatum explicationem, prout igitur calor apparet primo tactu in hectica mitis, poſtea verò acris, & mordax prope arterias, non ab alio emanare ſuſpicamur, niſi quia primus contactus dicit paſſionem, quæ fit à calore generico, qui vniuerſæ cuti ſuffuſus, eſt blandus, quatenus lentor maſſæ ſanguineæ præ acidi exotici energia frenum imponens medio lentore impedit irrequietam & furibundā expanſionem molecularum calorificarum, vnde hæ per totum corpus ſuffunduntur ſine moleſtia, & dolore, vt per hoc ægri febrim non percipiant, dum continuatus contactus paſſionem promouet mordacem, & acrem cauſa hecticæ caliditatis, quæ cum ſuccreſcat leſiua per conſortium ſalinarum molecularum acuentium pyramidalem figuram partium calorificarum, cui præſefert exiſtentiam intra maſſam ſanguineam, dum contingit, vt contactus fiat ſupra arterias. Vno verbo primus contactus ſequitur per tactionem, quam inferunt partes calorificę connotatę per motum quando continuatus contactus ſupra arterias fit per contactum, quem inferunt partes calorificæ, vt figuratæ, adeoque primus contactus apparet blandus, quando continuatus ſequitur mordax.

Sed vltrò proſequamur. Cum calor intendatur ab aſſumpto cibo in hectica quacumq; hora ſumatur (receſſit enim ab aula medica extemporanea meditatio ſeptem horarum prochili diſtributione, cum certum ſit, tenuiores, & volatiliores alimenti partes de facili detrudi intra ſanguineam maſſam] dum quouſque durat caloris incrementum pulſus fit maior, & frequentior, ſatis ſuſpicamur diſcraſiam ſanguinis ſalſuginoſam, & acidam eſſe compellandam, cum per eam ex adueniente chylo non conſequatur perfecta mixtio ad vnionem inferendam, ſed lucta illata præ inæquali mixtione, & præ irregulari figura fluidorum, conſequi neceſſe ſequitur maius caloris incrementum, ratione cuius expanſione illata maſſæ humorali, non minus calor per corpus intendatur, quam

motus

motus dilatatiuus arteriarum conſequatur, vt ex hoc pulſus fiat maior, quando per ſtimulorum efficaciam intra fibras muſculares cordis frequenter ſequatur ſyſtoles, & ſic frequentior ſequatur arteriarum pulſus, quæ tamen ſymptomata eo vſque durant, quouſque eliminatis particulis chyloſis ceſſat irrequieta lucta.

Sed ad vlteriora procedamus argumenta, quibus coniectuıari fas ſit vitium hecticæ febris fundari etiam in maſſa humorali. Cum igitur depræhendamus in progreſſu febris hecticæ non minus conſequi vrinam, quæ habeat in ſuperficie quaſi telam aranearum, quando aliquibus ſudores colliquatiui noctu promouentur, dicimus chyloſam ſubſtantiam ineptam aſſimilari, & vnionem mixtionis cum ſanguine obtinere præ diſcraſia eiusdem ſanguinis, commigrare in aqueas ſeroſitates, quæ cum non patiantur vinculari, vt mixtionem ſortiantur in humorali compage talem libertatem nanciſcuntur, vt cribratæ per venas ſecum vehant oleaginoſas ſanguineæ maſſę moleculas, vt non minus vrinę copioſę profluant, quam referant eadem ſuperficiem adinſtar telæ aranearum vel depoſitatę inter dormiendum quo tempore per ſpirituum quietem cutis interſtitia dehiſcunt media fibrarum cutanearum laxatione, ad ambitum corporis foras per ſudorem eliminantur ad terminum colliquationis, quatenus ſucci nutritii particulas ſecum rapiant præpediendo, & augendo eiusdem ſucci nutritii appoſitionem.

Ex iis igitur quæ protulimus ſatis ſuperque colligere valemus vitium in febri hectica fundari in ſalſuginoſa, & acida diſcraſia ſanguinis, dum per energiam acidi ſylueſtris lentor fluidorum infertur, quando per actiuitatem ſalſuginoſarum molecularum caliditatis acredo ſuccreſcit, vt mediis hiſce reſultet caractheriſmus ſiccitatis in partibus ſolidis cum incremento maciei ad terminum vſque maraſmi.

Etenim virium debilitas cutis ariditas & macies extremalatis demonſtrant ſiccitatem eminenter locari in partibus ſolidis, & vt a virium debilitate exordium ſumamus, quis igno-

ignorat, quod ſicuti robur virium dependet à tonicà vigoratione fibrarum neruoſarum, membranoſarum, & muſcularium, quatenus vigoratæ à ſpiritibus animalibus talem conſeruant vigoratiuam abbreuiationem, vt per conſortium ſpirituum vitalium cum ſanguine ſuffuſorum vtpote luctantium cum iſdem ſpiritibus animalibus, non ſolum robur tonicum ſeruant, ſed vigoratio talis promouetur, vt proportionatum pondus eleuandi, & ſubſtentandi valida vis conſequatur, ita virium debilitas debet concipi enata quatenus fibræ nerueæ membranoſæ, & muſculares præ ſiccitate non admittentes, neque proportionatum influxum ſpirituum animalium, neque ſanguinem in debita proportione, non patiuntur manuteneri in conſueta vigoratione, vnde non minus vires concidant, quam ineptitudo conſequatur pondus eleuandi, & ſubſtentandi.

Cutis pariter ariditas ſatis oſtendit eminentialem ſiccitatis exiſtentiam in partibus ſolidis; cum enim ariditas cutis reſultet per ſcabram, & irregularem ſuperficiem, per quam contactus ſequitur aſpero-moleſtus, non ab alia cauſa poteſt euenire, quam ab inæquali fibrarum, & papillarum cuius aſperitate, quæ non reſultans, niſi per deficientiam oleaginoſæ humiditatis, neceſſariò ſiccitatem connotat, non minus in cutis continuatione, quam etiam in partibus muſcularibus, & membranoſis ſubiacentibus, dum ab his ad cutim ſit conſuetum propagari aliquid oleaginoſum, & humidum, vt contactus lenitatis conſequatur.

Macies pariter non minus initiatiuè talis, quam ſucceſſiuè extrema demonſtrat ſiccitatem in hectica præcipuam obtinere ſedem in partibus ſolidis; etenim ſiue concidant fibræ per conſtitutionis tonicæ deſciſcentiam, ſiue quod eorum interſtitia occupentur ſalſuginoſis exuuiis ad amuſſim depoſitatis inter circulandũ à maſſa humorali, certum eſt, quod alia non poteſt ſuccreſcere textura, quam firma, & ſtabilis, adeoque per humiditatis deficientiam taliter ſicca, vt cum maior ſit reſiſtentia earundem fibrarum, ne ſuccum alibilem admittat

admittat, quam potentia eiuſdem, vt poſſit ſuperare reſiſtentiam, dum ipſa potentia ſucci alimentalis enervata iacet per lenteſcentiæ caracteriſmum, ſequitur vt incuneatione præpedita nutritio ſucceſsiuè præpediatur ad terminum vſq; extremæ conſumptionis, quæ dicit maraſmum.

Patet igitur ex dictis caliditatem extraneam in febri hectica, per quam febris continuetur ſituatam eminentialiter eſſe in maſſa fluidorum cum caracteriſmo lenteſcentiæ, & ſiccitatem principaliter reſidere in partibus ſolidis, itaut ſemper ſit verum febrim hecticam eſſe diſcraſiam calidam, & ſiccam.

Ordo conſequtiuus quoad praxim de hac febri erit proponendus in meo tractatu de febribus, Deo annuente Typis mittendo, in quo hypotheſim naturalem, & mechanicam ſecutus, & ſimplicium naturaliumque medicamentorum ordinem ſectatus, occaſionem ſcribendi depromam pro iis Equitibus, qui profitentes ſe medicina delectari, dum horum numerum Ciuitas omnis abunde concedit. Ruri aliquando degunt ſine Medico. Interea ſi Veſtrum erit Celeberrimi Patres hęc quæ protuli decernere, & corrigere, meum erit vt viuam ſemper

CELEBERRIMI VESTRI NOMINIS

Dabam Vrbini 28. Ianuarii 1697.

Addictiſſimus Servus
Io: Baptiſta Scaramucci.

99943350

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE
FIRENZE


HENR. SCHVTTE,
uſatenſis Med. Doctor,
Rerumque Naturalium
Indagator.